Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35889
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

26

de equo descendit et multis lacrimis in terram procidens monasterium deo et beate virgini iterum atque iterum commendavit. Intinere autem quidam cum ammonicione cepit dicens quod domus hospitum in Zwetel inperfecta remansisset et in constructione conpleta non esset. Ad cuius vocem vir laudabilis est turbatus et sic eundem virum est affatus: Accipe dilectissime has septem marcas auri et in Zwetlam per certum nuncium remittas, ut cum hiis sumptibus domus hospitum perficiatur et mei memoria deinde in hoc opere cum aliis bonis operibus habeatur. Quod et factum est. At postquam ad mare dilectissimus fundator noster pervenisset et transnavigare disposuisset, mare intumuit et fremuit et fundator noster navem intrare timuit. Sed cum a nautis hortaretur ut navem cum aliis intraret, quia iam dies eadem se quasi ad vesperam inclinaret, rogabat nautas ut saltem usque ad medium noctis navigare differrent et pro sedacione maris una secum dominum exoraret. Addiditque decere se facere quia cum monachi sui in Zwetla ad matutinas surgere circa medium noctis inciperent et pro eo ad dominum intercederent, mare a fremitu et tempestate cessaret et eos a litore promitteret. Nec frustratus a spe sua, sed sicut est locutus, sic circa medium noctis effectus oracionis est cum misericordia prosecutus. Facta quoque tranquillitate navium ascendit et sic versus Iherosolimam tendit. Factum est autem cum in transmarinis partibus esset quod inciperet egrotare et beatam virginem invocare et deo animam suam oracionibus commendare. Cum autem sicut bonus katholicus sacramenta ecclesiastica percepisset et de ossibus in Zwetlam reducendis sicut Joseph patriarcha mandasset, in vigilia beate Marie Magdalene deo et beate Marie virgini suum spiritum commendavit sicque bono fine animam exalavit. Obiit autem anno domini M. CC. XVII. videlicet XIIII. kalendas augusti, hoc est in vigilia beate Marie Magdalene. Famuli autem eius sicut eos vivus adiuraverat manum eius dextram cum corde suaverunt, corpusque eius excoquentes ossa collegerunt et hec omnia cum maximo labore in Zwetlense monasterium detulerunt et ea in capitulo monachorum cum multis lacrimis sepelierunt. Laboravit autem

conventus Zwetlensis una cum abbate eiusdem loci ut dies anniversarius eius, videlicet in vigilia beate Marie Magdalene, a generali capitulo obtentus devotius peragatur, et in ipsa die non solum ipsius Hadmari senioris verum et primi fundatoris et omnium huius loci fundatorum insimul celebretur et eorum memoria cum vigiliis et missis et aliis oracionibus haberetur. Quod usque hodie in Zwetlensi monasterio perseverat ad laudem dei qui per omnia secula vivit et regnat. Amen.

Explicit liber primus de fundatoribus Zwetlensis monasterii.

Incipit liber secundus.

Post mortem fidelissimi fundatoris nostri senioris Hadmari morte lacrimosa non sine lacrimis descripsimus, sicut nobis seniores monasterii nostri et cum lacrimis assertione veridica retulerunt. De filiis eiusdem sollertissimi Hadmari de Chunring, qui ut speratur optimo fine decessit et in capitulo monasterii nostri, ubi pater eius dominus Albero de Chunring et requiescit, de transmarinis partibus transferri et sepeliri mandavit, ossa sua nimia anxietate perturbati scribere cogimur et inviti. ✠ et de filiis suis Nullus enim ex hoc moveatur si de hiis scribimus quos non nominamus, quia beatus Gregorius papa in dyalogorum libro de hiis scripsit quos facientes numquam videt. Et legislator Moyses de patriarchis scilicet Abraham, Ysaac et Iacob scripsisse legitur, in quorum tamen visione minime letabatur. Nos igitur ad laudem bonorum et terrorem ferocium antecessores nostros imitantes scribimus, scilicet ut bonos ad meliora incitemus et feroces a sua ferocitate sollertius revocemus. Igitur de filiis domini Hadmari senioris fundatoris nostri de Chunring cum gemitu cordis scribimus, quia ipsi hec quod cum dolore loquimur pietatem patris non sunt imitati, sed a suis malis consiliariis inceterius concitati. Qui videlicet filii Haimricus et Hadmarus quoddam agnomen propter suam ferocitatem et propter horum dominatum defensionem sibi assumpserunt et canes se vocari mandaverunt, et duci Austrie Friderico nomine se opposuerunt et contra eum bellare ceperunt. Iste enim Fridericus primum